



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Davidis Regii Prophetae Psalterium**

**Moritz <Hessen, Landgraf>**

**Smalcaldiae, 1593**

**VD16 B 3258**

Psalmvs LXXXV. Benedixisti Domine terram &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Non summi bonitas destituet pios,  
Felix, Deum qui diligit.*

PSALMVS LXXXV.

Benedixisti Domine terram &c.

**P**Raterito fueras nobis qui tempore clemens,  
Eripiens vinclis pignora fida Iacob:  
Quiq; tuo meritas populo dimittere pœnas  
Es solitus, patrio crimina more tegens:  
Cuius iusta licet nobis tamen ira pepercit,  
Sapius & vinci se bonitate tulit:  
Nunc tua soletur miseros nos gratia rursus,  
Sis placidus nobis propitiuq; Pater.  
Asper eris num perpetuo, nec lenior unquam  
Vis fieri? haud flecti te pietate fines?  
Parce, precor, nostri miserere, ignosce benignè  
His, tua qui digno nomina honore colunt.  
O utinam Dominus pacem promitteret almam:  
Hæc mihi melle magis dulcia verba forent:  
Ne recidens ad stulticiam formidine vana  
Turbetur dubio tempore sancta cohors.  
Attamen auxilio firmat Deus & iuuat ipsum,  
Qui vereq; timent, speq; fideq; colunt.

Obuia ut occurrat fidei miseratio clemens,  
Mutua iusticia ut basia, paxq; ferant.  
Utq; amor in terris veri sic germinet, alto  
Prospicit è cælo iusticia atq; fides.  
Semina nostra Deus diuino rore rigabit,  
Agricolis ferat ut centupla grana suis.  
Iusticia ante Deum durabit tempore cuncto,  
Sermo Dei verax, permanet atq; viget.

PSALMVS LXXXVI.

Inclina Domine aurem tuam &c.

*phatim ius*

**M**E prona, Deus, aure lacrymantem,  
Audi, quid miser ac egenus orem:  
Conserues animam tibi sacratam,  
Qui credit tibi se, iuues ministrum.  
Ioua ò, respice me tuo fauore,  
Totos quippe dies opem requiro.  
Mentem latifica tui ministri,  
Qui desiderio tui tenetur.  
Tu Rex es bonus, & Deus benignus  
His, qui te merito colunt honore.  
Clemens accipe, quid querar precerq;  
Audi verba meæ petitionis.

Nam